

gislatoris quando inquiritur, istius mentio fiat, quia de iis, nisi hoc supposito, agere, supervacaneum futurum esset.

§. X.

Neque Naturam Legislatorem esse, aut pro tali haberi posse, partim ex hæcenus dictis constare poterit, partim Gentilium naturâ, quæ Legis sunt, facientium exemplo docemur. De his namque Paulus *loc. alleg.* non modò dicit, quod Legis opus cordibus eorum inscriptum sit, sed etiam, quod conscientia eorum testimonium ipsis unâ perhibeat, cogitationesque mutuò, si quid mali patrarent, accusent; vel etiam, si quid boni, non perfectè tale, sed aliqualem cum lege convenientiam habens, peregerint, excusent. Vel si malueris cum SCHMIDIO *Comment. in Ep. ad Rom. h. l.* mutuam illam cogitationum accusationem vel excusationem ad actus conscientiaæ antecedentis, de actionibus bonis ac malis, antequam fiunt, judicantis, referre, nobis id equidem perinde esse poterit. Nihilominus tamen hoc manet, ex conscientiaæ testimonio & cogitationum accusatione excusationeque Gentiles agnovisse, Legem se obligandi virtutem habere, tanquam à Superiore sibi præscriptam. Nam sine Superiore, tanquam justo iudice severissimoque transgressionum vindice metuendo, si esset, quid conscientia, nisi tenuis sine viribus umbra & inane terriculamentum, foret? Ast, succurrit memoria quondam abs nugatorum nugacissimo, Matthia Knutzenio, conficta Conscientiariorum Secta, de qua vid. Hartnaccii *Contin. Syntagm. Hist. Eccles. Micraliani Tit. de Secta Conscientiarior.* Sparserat ille Knutzenius Anno 1674. Jenæ, Coburgi, Altorfii, alibique schedulas quasdam atheisticas, DEum diserte negantes, sanctissimum DEI verbum ludibrio exponentes, Magistratum & Ecclesiaæ Ministros è mundo sublato cupientes, horumque omnium loco Conscientiam unicè venditantes, urgentes atque laudantes. Erat has inter Epistola Latino idiomate scripta, quâ in Conscientiam, quam benigna mater Natura omnibus indiderit hominibus, sibi ait loco Biblio-

rum